



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Q. 44. Vtrum humanitas Christi non solum sit sancta per gratiam habituaalem creatam, sed etiam sit formaliter infinitè sancta per sanctitatem increatam Verbi diuini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

concedendæ istæ propositiones, *Christus est creatura; Christus incepit esse; Filius Dei est creatura; Filius Dei incepit esse.*

17. Respondeo, quod simpliciter, & sine addito non sunt concedendæ, sed solum concedendæ sunt cum limitatione, dicendos: *Christus, seu Filius Dei secundum naturam humanam est creatura, incepit esse.* Ratio est, quia propositiones, quæ ex usu hæreticorum determinatæ sunt ad sensum hæreticum, non sunt simpliciter admittendæ, ne videamur fauere eorum hæresi; sed propositiones allatæ ex usu Arrianorum determinatæ sunt ad significandum, quod Christus est creatura, & incepit esse, non solum secundum naturam humanam, sed etiam secundum ipsum suppositum Filij Dei; ergo &c. Ex proportionali ratione, quia propositio hæc, *Christus est ubique* ex usu Vbiquetariorum determinata est ad significandum, quod Christus est ubique etiam secundum corpus, & secundum naturam humanam, non est simpliciter admittenda, sed addenda est limitatio, ac dicendum, *Christus est ubique secundum naturam diuinam.* Videri potest S. Thomas q. 16. art. 8. & 9.

18. Ad 1. Propositio hæc, *Homo est lapis*, ideò est in materia remota, seu impossibili, quia homo, & lapis non possunt vniri in eodem supposito; sed natura diuina, & humana possunt vniri, ac de facto vniuntur in eodem supposito; ergo propositio hæc, *Deus est homo* non est in materia remota, seu impossibili. Addit Sanctus Thomas quest. 16. artic. 1. ad primum, quod non est in materia contingenti, sed naturali. Vt saluetur hæc doctrina, supponendum, quod dupliciter propositio dicitur esse in materia contingenti. Primum cum prædicatum non necessariò conuenit subiecto: in hoc sensu propositio allata procul dubio est in materia contingenti. Deus enim Filius non necessariò est homo, cum potuerit non esse homo. Secundo propositio dicitur esse in materia contingenti, cum prædicatum est vnum, non per se, sed solum per accidens cum subiecto. In hoc sensu propositio allata non est in materia contingenti, sed naturali, quia Deus Filius est vnum per se cum homine substantialiter, & naturaliter, cum substantialiter habeat sibi vnitam naturam humanam. Sanctus Thomas loquitur in hoc secundo sensu.

19. Ad 2. Nego, quod in triduo mortis potuisset dici, *Deus filius est anima, est sanguis*: Ratio est, quia sola nomina concreta significantia naturas completas possunt prædicari de supposito talium naturarum; nomina autem significantia naturas partiales, non prædicantur de suppositis. Ideò dicitur, quidem, *Petrus est homo*, at non dicitur, *Petrus est anima, est sanguis* &c. ergo non est mirum, quod dicatur, *Filius Dei est homo*; at in triduo non diceretur, *Filius Dei est anima, est sanguis*, licet esset hypostaticè vnitus animæ, sanguini, & corpori separatis ab anima.

## TRACTATUS V.

*De sanctitate humanitatis Christi, eiusque impeccabilitate coniuncta cum libertate ad obseruantiam præceptorum, & ad moriendum.*

## QVÆSTIO XLIV.

*Vtrum humanitas Christi non solum sit sancta per gratiam habitualement creatam, sed etiam sit formaliter infinitè sancta per sanctitatem increatam Verbi diuini?*

1. **V**idetur non esse formaliter sancta humanitas Christi esse sancta sanctitate increata: primò, quia si humanitas Christi esset sancta sanctitate increata, frustra in Christo daretur sanctitas creata gratiæ habitualis.

2. Secundo si esset formaliter sancta per sanctitatem increatam, deberet etiam esse formaliter beata per beatitudinem increatam; alioquin esset infinitè minus beata, quam sancta.

3. Tertio si per sanctitatem increatam esset sancta, per omnipotentiam deberet esse omnipotens, per aternitatem aterna, per immensitatem immensa. Non enim est ratio, cur vnum attributum tribuat potius humanitati suum effectum formalem primarium, quam aliud attributum.

4. Quarto effectus formalis vnus forma non potest præstari ab alia forma; sed effectus formalis sancti præstaretur à gratia, quæ est forma accidentalis; ergo non potest præstari à natura diuina, quæ est forma substantialis.

5. Quinto conceptus formalis sancti est conceptus Deo amabilis, & potentis Deum redamare; sed humanitas Christi, licet per sanctitatem increatam constituatur Deo amabilis, non constituitur potens Deum redamare; ergo &c.

6. Sexto sequeretur humanitatem Christi esse sanctam duplici sanctitate, increata nimirum Verbi diuini, & creata gratiæ.

7. Respondeo cum Suario disp. 18. sect. 1. Vasquez disput. 4. capite 3. quos sequuntur communiter omnes societatis auctores contra aliquos antiquos, humanitatem Christi sanctificari formaliter per sanctitatem increatam Verbi diuini.

8. Probatur primo ex Patribus, & præsertim ex Nazianzeno, qui Oratione 36. quæ est quarta de Theologia, dicit: *Christus verus dicitur propter diuinitatem; ea enim humanitatis vnctio est, non operatione, ut in alijs Christianis sanctificans, sed totius unguenti præsen-*  
tia

ita; ergo Nazianzenus ponit hanc differentiam inter Christum, & alios Christos, hoc est iustos, & sanctos, quod alij sanctificantur operatione, & effectu Deitatis, humanitas autem Christi sanctificata est ipsa præsentia diuinitatis vngentis. Aliæ auctoritates videri possunt apud Suariū, & Vasquez locis citatis.

9. Probatur secundo ratione. Nam naturam rationalem sanctificari nihil aliud est, quam reddi Deo gratam, & amabilem, ac mundam à peccato, ita ut propter ipsam intrinsecam amabilitatem habeat ius, ut à Deo ametur amore amicitiae, & donetur beatitudine supernaturali, & supernaturalibus habitibus; sed humanitas Christi per hoc, quod habeat sibi intrinsecè vnitam sanctitatem increatam Verbi, redditur Deo amabilis; ergo &c.

10. Confirmatur. Nam natura rationalis est sancta formaliter per hoc, quod habeat sibi vnitam gratiam, quæ est similitudo, & participatio creata diuinæ naturæ; ergo à fortiori redditur sancta, & Deo grata, & amabilis per hoc, quod habeat sibi vnitam intrinsecè ipsam diuinam naturam.

11. Potest quæri primò, vtrum humanitas Christi sanctificetur etiam per modum creatum vnionis hypostaticæ?

12. Respondeo, quod sanctificatur formaliter per Verbi sanctitatem, tamquam per formam, per modum creatum vnionis solum *ut quo*, & tamquam per habitationem formæ, proportionaliter, ac corpus constituitur animatum per animam, tamquam per formam, per modum vnionis, tamquam per solam habitationem formæ. Ratio est, quia ideò corpus est animatum per vnionem, non tamquam per formam, sed solum tamquam per habitationem formæ, quia vnio non est anima, sed habitio animæ; sed ex proportionali ratione modus creatus vnionis non est sanctitas, sed est solum habitio sanctitatis increatæ: ergo &c. E conuerso gratia sanctificat ut forma, quia gratia est vera sanctitas creata, & participata.

13. Confirmatur. Nam proportionaliter sanctificat vnio cum sanctitate increata, ac sanctificet vnio cum sanctitate creata; sed vnio cum sanctitate increata, hoc est cum gratia habituali, sanctificat solum *ut quo*, & ut habitio formæ; ergo vnio hypostatica cum sanctitate increata sanctificat solum *ut quo*, & ut habitio formæ, vel quasi formæ sanctificantis. Ratio à priori est, quia vnio cum forma ex ratione formali vnionis est pura habitio formæ: e. g. vnio modalis cum albedine non est albedo, sed pura habitio albedinis, vnio cum calore non est calor, sed pura habitio caloris; ergo vnio cum sanctitate increata non est sanctitas, sed pura habitio sanctitatis increatæ; ergo sicut vnio cum albedine non albificat *ut quod*, sed solum *ut quo*, sic vnio hypostatica non sanctificat *ut quod*, sed solum *ut quo*.

Tom. III.

14. Obijcies. Ideò gratia habitualis est sanctitas, quia est ipsa formalis participatio diuinæ naturæ; sed vnio hypostatica est multò perfectior participatio diuinæ naturæ, quam gratia; ergo vnio hypostatica est sanctitas creata, ac proinde sanctificat etiam *ut quod*.

15. Respondeo, distinguo maiorem; ideò gratia habitualis est sanctitas, quia est participatio creata diuinæ naturæ per modum naturæ similis naturæ diuinæ, concedo; per modum puræ habitationis, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Dupliciter potest aliquid participare aliquam naturam, seu formam. Primò per hoc, quod sit natura deficienter, & ex parte similis illi naturæ, & formæ: ex. gr. forma, & natura ignis potest dici participatio formæ, & naturæ Solis, quia natura, & forma ignis est deficienter, & ex parte similis naturæ, & formæ Solis, in quantum sicut natura, & forma Solis est perfectè illuminatiua, & calefactiua, sic natura, & forma ignis est imperfectè illuminatiua, & calefactiua. Secundo per hoc, quod sit pura habitio naturæ, & formæ Solis, eo pacto, quo vnio materiæ cum forma Solis est pura habitio formæ Solis. Quod participat naturam Solis primo modo, potest reddere subiectum formaliter, & *ut quod* illuminatiuum, & calefactiuum, proportionaliter, ac Sol est illuminatiuus, & calefactiuus, & sic forma ignis reddit ignem formaliter, & *ut quod* illuminatiuum, & calefactiuum. Quod autem participat naturam Solis secundo modo, non potest reddere subiectum formaliter, & *ut quod*, sed solum *ut quo* illuminatiuum & calefactiuum, & sic vnio materiæ cum forma Solis non reddit materiam *ut quod*, sed solum *ut quo* calefactiuam, & illuminatiuam. In casu nostro gratia habitualis est participatio naturæ diuinæ, in quantum est natura deficienter, & ex parte similis naturæ diuinæ; siquidem sicut natura diuina est forma, qua Deus redditur cognoscens, videns, & amans se ipsum, & sic est optimus, sanctissimus, & beatissimus, sic gratia habitualis est forma, qua homo redditur aptus ad Deum cognoscendum, videndum & amandum, & sic redditur sanctus, ac Deus per participationem, iuxrà illud Psalmi 81. *Ego dixi: Dii estis vos.* At vnio hypostatica est participatio secundo modo, in quantum est habitio naturæ diuinæ; ergo gratia est sanctitas participata, & sic reddit formaliter, & *ut quod* sanctum, vnio non est sanctitas participata, sed est pura habitio diuinæ sanctitatis, ac proinde sanctificat solum *ut quo*, & ut pura habitio sanctitatis.

16. Quæri potest secundo, vtrum humanitas Christi sanctificetur formaliter per solam naturam diuinam, an etiam per substantiam Verbi?

17. Respondeo, quod formaliter sanctificatur per solam naturam diuinam. Ratio est, quia

quia sanctificatur formaliter solum per id, quod est formaliter, seu virtualiter intrinsicè sanctitas; sed sola natura diuina est formaliter, seu virtualiter intrinsicè sanctitas, personalitas Verbi est sanctitas solum realiter, non autem virtualiter intrinsicè: alioquin darentur in Deo tres sanctitates; ergo per solam naturam diuinam sanctificatur formaliter, per Personalitatem Verbi sanctificatur solum realiter, & identicè, in quantum Personalitas est realiter ipsa deitas, & ipsa sanctitas.

18. Potest etiam concedi, quod humanitas Christi sanctificetur per Personalitatem Verbi formaliter *ut quo*, tamquàm per habitionem naturæ diuinæ, quæ est forma sanctificatiua, proportionaliter ad dicta de vnione hypostatica. Personalitas igitur Verbi reddit humanitatem formaliter subsistentem; quia Personalitas Verbi est formaliter, seu virtualiter intrinsicè subsistentia; non reddit humanitatem formaliter sanctam, quia non est formaliter, seu virtualiter intrinsicè sanctitas.

19. Quæri potest tertio, vtrum humanitas Christi per sanctitatem increatam Verbi sit infinite sancta simpliciter?

20. Respondeo: certum est primo, quod est simpliciter infinite sancta ex parte formæ sanctificantis, cum sit formaliter sancta per sanctitatem increatam infinitam in omni genere.

21. Certum est secundo, quod non est simpliciter infinite sancta ex parte capacitatis, & modi creati habendi formam: siquidem, humanitas Christi habet finitam capacitatem habendi sanctitatem increatam, illamque habet modo finito.

22. Certum est tertio, quod humanitas Christi est minus sancta, quam Deus ipse secundum se. Ratio est, quia Deus est sanctus per infinitam sanctitatem, vt infinita capacitate, & infinito modo habitam, cum illam habeat per essentiam, & identitatem; ergo Deus est infinite magis sanctus, quàm humanitas Christi, quæ sanctitatem infinitam habet solum finita capacitate, ac finito modo, nimirum per vnionem, & non per identitatem.

23. Certum est quarto, quod humanitas Christi non est infinite sancta in omni genere. Ratio est, quia illud solum est infinite sanctum in omni genere, quod est sanctum per essentiam, & ita, vt in nullo genere possit dari aliquid sanctius illo; sed humanitas Christi non est sancta per essentiam, & datur Deus, qui est infinite sanctior humanitate Christi; ergo &c. Christus tamen, cum sit Deus, est infinite sanctus per essentiam, & in omni genere.

24. Superest quæstio ex parte de nomine, vtrum humanitas Christi debeat dici simpliciter infinite sancta in genere sanctitatis participatæ?

25. Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia infinite sanctum in genere sanctitatis participatæ dicitur, quod infra Deum, qui est

sanctus per essentiam, per infinitam sanctitatem constituitur formaliter sanctum illimitatè, ita vt infra Deum nihil possit esse sanctius illo; sed humanitas Christi per infinitam sanctitatem Verbi constituitur illimitatè sancta infra Deum, ita vt infra Deum nihil possit esse intrinsicè sanctius humanitate Christi; ergo &c. Probatum minor, Nam cum sanctitas consistat in amabilitate, qua aliquid est dignum, vt ametur à Deo, & donetur beatitudine, illud dicitur illimitatè sanctum infra Deum, quod est dignum, vt infra Deum ametur amore maiori, & maiori in infinitum ex parte boni voliti, & donetur beatitudine maiori, & maiori in infinitum: eo enim ipso infra Deum non potest dari dignius illo; sed humanitas Christi habet hanc dignitatem; ergo &c. Proportionali igitur modo humanitas Christi sanctificatur infinite in genere sanctitatis participatæ, ac actus meritorum Christi dignificantur infinite in genere meriti.

26. Dices: si humanitas Christi esset infinite sancta per sanctitatem infinitam, esset etiam infinite perfecta per perfectionem Verbi sibi intrinsicè vnitam.

27. Respondeo, nego sequelam. Disparitas est, quia esse infinite sanctum spectat ad actum primum, & est esse dignum quolibet humanitas autem per infinitam dignitatem Verbi constituitur digna quolibet. At esse infinite perfectum spectat ad actum secundum, & est non posse melius se habere in actu secundo: humanitas autem licet habeat infinitam perfectionem, potest melius, & melius se habere in actu secundo, cum possit esse beator, & beator. Humanitas igitur sit infinite sancta per infinitam sanctitatem, quia est capax recipiendi effectum formalem infinite sancti, cum talis effectus formalis spectet ad actum primum. At non est infinite perfecta, quia est incapax recipiendi effectum formalem infinite perfecti, cum spectet ad actum secundum. Proportionaliter dic de immensitate, æternitate &c. Confirmatur: nam natura essentialiter limitata quo ad esse, est etiam limitata quoad consequentia ad esse, ergo sicut repugnat, vt natura creata à Verbo recipiat effectum formalem illimitati quoad esse, sic repugnat, vt recipiat effectus formales immensi, æterni &c.

28. Dices: non potest finita capacitas recipere effectum formalem infinitum.

29. Respondeo, negando, quod dicitur. Potest enim aliquid habere capacitatem finitam entitatiuè, sed infinitam terminatiuè, hoc est recipiendi hunc infinitum effectum formalem, vt per infinitam dignitatem sit dignum quolibet, ac proinde in hoc sensu sit illimitatè dignum.

30. Quæri potest quarto, vtrum in Christo præter sanctitatem increatam derur etiam sanctitas creata, hoc est gratia habitualis.

31. Respondeo affirmatiuè. Conclusio licet

licet non sit de fide, tamen non potest sine temeritate negari propter communem auctoritatem Theologorum, vt docet Vasquez 3. parte, disputatione 41. cap. 1. Ratio est, quia in Christo sicut dantur potentia naturales creatæ, nimirum intellectus, voluntas, potentia visua, auditiva &c. sic dari debent potentia supernaturales; sed habitus infusi nihil aliud sunt, quam quædam potentia supernaturales: ergo in Christo dari debent habitus infusi; sed gratia vel est ipse habitus infusus charitatis, vel est radix proxima, & immediata omnium habituum infusorum; ergo in Christo debet dari gratia. Nam si gratia est indistincta ab habitu charitatis, sicut in Christo debet dari habitus charitatis, sic debet dari gratia; si distinguitur à charitate, cum habitus infusi fiat veluti rami gratiæ, quasi arboris ac radice, non debent dari sine arbore ac radice, ex qua profluunt. Gratia porro, cum ponitur in supposito extraneo, constituit illum filium adoptiuum; cum autem ponitur in supposito filij naturalis, non constituit filium adoptiuum. Quia Christus est beatus, & impeccabilis, illi habitus infusi dantur in Christo, qui decent beatum, & impeccabilem: & quia fides, & spes sunt habitus proprii viatoris non beati, poenitentia est propria subiecti peccabilis, ideo in Christo non dantur habitus fidei, spei, & poenitentia. Videri potest Sanctus Thomas 3. parte, quæstione 7. in qua disputat de gratia Christi.

32. Quæri potest quintò, vtrum gratia creata Christi sit intensiue, & gradualiter finita, vel infinita?

33. Respondeo, quod si esset possibilis gratia intensiue infinita, deberet dari in Christo. Sed quia probabilius est repugnare infinitam intensiorem, gratia Christi est solum finita intensiorem. Dicitur tamen Christus Io. 1. *plenus gratia, & habere plenitudinem gratia.* Ratio est, quia habet tantam intensiorem gratia, quæ propter suam magnitudinem eo ipso, quod datur in aliquo, exigit non crescere, sed se communicare alijs; eo pacto, quo Sol dici potest habere plenitudinem lucis, quia habet tantam lucem, vt eo ipso, quod datur in aliquo corpore, exigit non crescere, sed se communicare alijs.

34. Ad 1. Gratia habitualis non est frustra in Christo, quia requiritur vt radix immediata habituum, & potentiarum supernaturalium, vt explicatum est num. 30.

35. Ad 2., nego sequentiam. Cum opponitur, quod humanitas Christi esset minus beata, quam sancta, distingo: esset minus beata, quam sancta substantialiter, concedo: accidentaliter, nego. Humanitas Christi est æquè beata per visionem Dei, ac sit accidentaliter sancta per gratiam, sed est minus beata, quam sit substantialiter sancta per Deitatem. Ratio, quare beatitudo debeat esse æqualis sanctitati accidentali, non autem

substantiali, est, quia beatitudo debet consistere in operatione vitali; operatio autem vitalis creaturæ debet esse accidentaliter, & creata, ac non potest esse increata. De ratione enim operationis vitalis est, vt sit ab eo, quod per illam viuit; sed nullum increatum potest esse à creatura; ergo creatura non potest in actu secundo viuere, nec esse beata per operationem increatam. Potest tamen esse sancta per sanctitatem increatam, quia ad sanctitatem non requiritur, vt sit ab eo, quod per illam est sanctum, sed sufficit, vt sit illi vnita. Vltior ratio est, quia esse sanctum spectat ad actum primum: at esse beatum spectat ad actum secundum.

36. Ad 3. nego sequentiam. Humanitas enim est capax recipiendi effectum formalem infinitè sancti; at est incapax recipiendi effectus formales immensi, æterni, omnipotentis, vt explicatum est num. 27.

37. Ad 4. distingo maiorem: effectus formalis specificus vltimus vnus formæ non potest tribui ab alia formæ, concedo: genericus, vel quasi genericus, nego: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Sanctitas increata potest tribuere effectum formalem sancti substantialiter, qui effectus formalis est idem genericè, sed differt specie ab effectu formali sancti accidentaliter, qui tribuitur à gratia.

38. Ad 5. distingo maiorem: conceptus formalis sancti est conceptus Deo amabilis, & potentis proximè Deum redamare, nego: potentis remotè, & in iure, concedo: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Conceptus formalis sancti est conceptus Deo amabilis, & habentis ius accipiendi habitus, quibus possit Deum redamare; sed humanitas Christi per sanctitatem increatam Verbi redditur Deo amabilis, & accipit ius recipiendi habitum charitatis, & alios habitus, quibus possit Deum redamare; ergo &c.

39. Ad 6. Sicut non est absurdum animam Christi esse scientem triplicem scientiam, beata nimirum, infusa, & acquisita, vt cum Sancto Thomas 3. parte quæstione 9. docent communiter Theologi, sic non est absurdum esse sanctam duplici sanctitate, altera substantiali, & increata, altera accidentali, & creata.

QVÆSTIO XLV.  
ET VLTIMA.

*Virum Humanitas Christi fuerit impeccabilis simul, & libera etiam ad obseruantiam præceptorum, & ad moriendum?*

1. Videtur humanitas Christi non fuisse simul impeccabilis, & libera ad obseruanda diuina præcepta. Si enim fuisset libera ad obseruantiam præceptorum, potuisset illa